

quia ex nobis omnibus eis impertitur auctoritas;» adeoque ipsæ Declarationes Sacræ Congregationis Concilii habent eandem vim obligandi, ac ipsa decreta ejusdem Concilii: nam qualitates omnes legis declaratæ consentur inesse illius declarationi, ut est textus in l. *Nihil*, et ibi Bartol., in princip. de conjungend. cum emancip. liber. et in Authen. de filiis ante dotalia instrumenta natis, ad fin.

(13. Nec valet objicere, quod dictæ declarationes Sac. Congreg. Concilii non promulgantur, adeoque non posse obligare, cum ad hoc, ut lex obliget, requiritur promulgatio ex cit. Authen. *Ut factæ novæ Constitutiones*, § *Sancimus*, collat. 5 et cit. *In istis* 3, dist. 4. (14. Non valet, inquam, quia hæc promulgatio requiritur solum in legibus quæ novum jus condunt, non autem in declarationibus Legum quæ cum legibus ipsis intrinsece insint, non constituunt jus novum sed solummodo jus quod prius erat manifestant atque declarant; adeoque, cum declarationes S. Cong. Conc. non constituent jus novum, sed contineant meram legis præ-existentis explicationem, stat certum, quod nulla indigeant speciali publicatione; quia ex quo Lex declarata jam ab initio promulgata fuit, solemnitas publicationis semel adhibita in principali dispositione, non est ulterius repetenda in illius declaratione, ac proinde ab ipsamet primæva Concilii publicatione, vim obligandi obtinent ipsius Congregationis declarationes, cum retrotrahantur ad tempus conditi Conc. atque huic a principio jam inesse, et infuisse censeantur, et juxta ipsas lex Conciliaris semper fuerit intelligenda, juxta Gloss. cap. *Sicut nobis*,

DECOCTIO, DECOCTOR.

Vide verb. RESTITUTIO, art. 5, a num. 49 ad 59, et verb. SOLUTIO a num. 3 ad 16.

DEDICATIONIS FESTUM

Vide Decreta sac. Rituum Congregationis.

DEFENSOR

SUMMARIUM.

1. 6. Defensor Matrimonii in variis casibus a quonam eligendus. — 7. 8. De mercede Defensoris Matrimonii. — 9. Defensor debet juramentum præ-

(1. Defensor Matrimonii ex Ecclesiastico cœtu (si fieri potest) constitui debet ab Ordinario in singulis Diœcesibus, ut adsit iudiciis omnium causarum Matrimonialium, Bened. XIV, tom. 1. Constitut. 33, incip. *Dei miseratione* § 5 et 6. (2. Defensor Matrimonii in Romana Curia deputandus est a Cardinali Præfecto Congregationis Concilii, si causa super Matrimonii nullitate agitur in dicta Congregatione. (3. Si vero in Palatii Apostolici Auditorio, ab Auditore Decano præfati Tribunalis. (4. Si autem in Congregatione particulari, a persona ejusdem Congregationis Digniore; Idem ib. § 13. (5. In iudiciis secundæ instantiæ, si Judex fuerit Metropolitanus, aut nuncius Apostolicus, aut Epi-

verb. *Respondemus*, de verb. *significat.* et clare desumitur ex Authen. *de raptis Mulieribus*, § fin. collat. 9, ubi Imperator de tali Legum suarum declaratione loquens, sic expresse dicit: « Quam interpretationem non futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tamquam si nostra Lex ab initio, cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis; » Et sic tenent omnes supracitati Doctores, et Fagnan. loc. cit. n. 43, ubi ulterius citat Bartolum, Imolam, Baldum, Rebuffum, Romanum, et alios. Et ita colligitur etiam ex modo procedendi ipsius S. Congr. a qua si edantur declarationes, quæ jus novum non faciunt, (15. sed solum præexistens declarant, ejusque mentem ac genuinum sensum explicant, tales declarationes non solent publicari, nec affigi Romæ in publicis et consuetis locis, sed simpliciter eduntur et communicantur partibus, quarum interest, in forma authentica, sigillo, et subscriptione munitæ. Si vero ab ipsa edantur decreta per modum novæ Legis, tunc ad instar aliarum Constitutionum Apostolicarum de novo conditarum, etiam talium decretorum fit solemnitas Romæ promulgatio, et affixio in locis consuetis, prout notatur ad finem eorundem Decretorum, ut patet in Decreto de Regularibus Apostatis et ejectis, incip. *S. Cong.* edito ab ipsa Sac. Cong. die 21 Septembris 1624, et in Dec. de celebratione Missarum incip. *Cum sæpe contingat*, edito ab eadem Sac. Cong. die 21 Jun. 1625, et in variis aliis. Et sic advertit Fagn. l. c. n. 42 et 43.

(16. Alia. Vide verb. RESOLUTIONES SAC. CONGREG.

scopos vicinior, Defensor Matrimonii debet esse, qui ab ipsis respective fuerit deputatus, prout ab ipsis est deputandus. (6. Si autem sit specialis Commissarius a Sede Apostolica deputatus, qui Tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, Defensor debet esse, qui fuerit constitutus ab Ordinario, in cujus Diœcesi causam cognoscet; etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit; Idem ib. § 10.

(7. Defensor Matrimonii, quamvis ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, ac Ecclesiæ reverentia, ipsum Pontifex in Domino exhortetur, tamen si aliqua ex causa id sine mercede, aut salario exsequi recusaverit, ab ipsius Causæ Ju-

stare. — 10. In omnibus actibus debet citari. — 11. Semper appellare debet a prima sententia. — 12. Defensor Professionis Regularis ab Ordinario loci deputandus. — 13. 16. De ejus mercede.

dice debet ei constitui, et a Parte pro validitate Matrimonii agente persolvi, si ipsi facultas sit, sin minus a Judice primæ, vel secundæ instantiæ respective subministrari ex mulctis suorum Tribunalium in opera pia erogandis. (8. Et si Judex fuerit specialis deputatus Commissarius pecuniam ex mulctis non habens, debet Defensori Matrimonii satisfieri ex mulctis illius Episcopi, in cujus Diœcesi Commissarius Apostolicus judicium exercent; Idem ib. § 12.

(9. Defensor Matrimonii juramentum fideliter officium suum obeundi præstare debet in limine judicii, et in suscipiendo officio: Idem ib. § 7. (10. In omnibus actibus citari, et intimari debet sub pena nullitatis; Idem ib. § 7 et 10. (11. Semper appellare debet a prima sententia pro nullitate Matrimonii lata: Idem ib. § 8.

(12. Defensor Professionis Regularis in singulis Diœcesibus ab Ordinariis juxta disposita pro defensore Matrimonii est deputandus aliquis probitate, et doctrina commendatus, sive Regularis, sive Ecclesiasticus

DEFINITIVA SENTENTIA

Vide verb. SENTENTIA a num. 4 et fere per totum.

DEFLORATIO, DEFLORE

Vide verb. STUPRUM, STUPRATOR.

DEFUNCTORUM OFFICIUM

Vide verb. OFFICIUM DEFUNCTORUM

DEGRADATIO.

SUMMARIUM.

1. Degradatio est duplex, scilicet Verbalis, et Realis, sive actualis. Verbalis, quæ sit. — 2. Per hanc degradationem verbalem Clericus non amittit privilegium fori, et Canonis. — 3. Nec sic degradatus amittit Characterem impressum. — 4. Clericus sic degradatus, si sit Sacerdos, adhuc conficit Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi sit Hæreticus, sicut etiam valide absolvit pro mortis articulo moribundum. — 5. Clericus sic degradatus, si ex aliqua justa causa restituatur ad ordines Clericales, non debet de novo Sacris insigniri. — 6. Degradatio Realis, seu actualis quæ sit. — 7. Per hanc degradationem Realem, seu actualem Clericus amittit privilegium Fori, et Canonis. — 8. Non privatur tamen sic degradatus Characterem Ordinis, neque potestate valide consecrandi, neque facultate valide absolvendi pro mortis articulo moribundum. — 9. Nec sic degradatus liberatur ab onere recitandi horas Canonicas, aut servandi perpetuam castitatem. Sacra tamen Congr. Concilii, et Clemens XI. cui ipsa Cong. dubium resolvendum reservaverat, noluit hoc decidere quoad obligationem recitandi officium in damnato ad Triremes. — 10. Quæ sint Crimina, ob quæ de jure deveniri potest ad degradationem, seu depositionem verbalem. — 11. Quæ sint Crimina, ob quæ de jure potest deveniri ad degradationem Realem, seu actualem. — 12. Quæ sit forma solemnitatis, quæ in degradatione Reali, seu actuali servanda est. — 13. Degradatio Realis, seu actualis, et solemnitas non potest fieri nisi ab Episcopo. — 14. Immo Episcopus debet esse consecratus, et non sufficit Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus. — 15. Quinimo degradatio Realis est taliter Ordinis Episcopalis, ut nequeat ab Episcopo demandari neque Abbatibus

FERRAR. III.

Sæcularis; Bened. XIV, tom. 2. Constitut. 47, incip. *Si datam*. (13. Pro ejus mercede, seu salario est ei præstandum, quod Judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a Professo renuntiatis in Religionis ingressu, si quæ habuerit, aut in defectu, ex bonis Religionis, si sit ex bona possidentibus. Si autem nec adsint bona renunciata, nec ejus Religio bona possideat, tunc defensori Professionis satisfiet ex pecuniis mulctarum illius Tribunalis, in quo causa agitata fuerit, Idem ib.

(14. Defensor Professionis in constructione processus, interrogatoria dare debet, et in omnibus judicii actibus citandus est; Idem ib. (15. Defensor Professionis, si sententia lata fuerit pro nullitate Professionis, ex officio appellare debet; Idem ib. (16. Defensor Professionis, deputari, et assistere debet propositioni causæ apud Sanctam Sedem super concessione restitutionis in integrum; idemque assistere debet confectioni processus remissorialis; idem ib.

Presbyteris, et solemniter benedictis, aliisque quibuscumque Clericis inferioribus. — 16. Degradatio vero verbalis potest fieri ab Episcopo electo, et confirmato, licet nondum consecrato. — 17. Et sic talis verbalis Degradatio potest fieri etiam per Vicarium Generalem Episcopi. — 18. Et sic etiam talis verbalis degradatio fieri potest Sede vacante a capitulo, vel Vicario Capitulari. — 19. Ad degradationem, seu depositionem faciendam requirebatur olim certus numerus Episcoporum. — 20. Pro deponendo Episcopo requirebantur duodecim Episcopi. — 21. Pro deponendo Presbytero requirebantur Episcopi sex. — 22. Pro deponendo Diacono tres. — 23. Pro deponendo Subdiacono etiam Episcopi tres. — 24. Pro deponendo Clerico in Minoribus sufficiebat unus solus Episcopus. — 25. Hodie tamen est a Tridentino statutum, ut adversus Clericos etiam in Sacris constitutos ad condemnationem, necnon verbalem depositionem procedere possit Episcopus tam per seipsum, quam per illius Vicarium in spiritualibus Generalem; ad actualem vero atque solemnem degradationem per se ipsum, etiam non adhibito numero Episcoporum a Sacris Canonibus præfinito; Adhibitis tamen et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, vel ipsis deficientibus, aliis Personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, *ad n. 26.* — 27. Appellatione personarum in Ecclesiastica dignitate constitutarum, de quibus loquitur Concilium, non comprehenduntur Prælati Regularium Mendicantium. — 28. Abbates non debent interesse examinationi, vel processui, sed tantum solemniter et actuali degradationi assistere, ut Assessores. — 29. Ordinarius potest adhibere alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas etiam non Diœcesanas. — 30. Prælati Regulares de jure communi non habent potestatem degradandi degradatione Reali, seu actuali, suos subditos. — 31. Unde Prælati Regulares ne-

queunt suos subditos degradare, degradatione Reali, seu actuali, et solemnii, nisi illis concessum sit per privilegium, vel per consuetudinem a Romano

(1. Degradatio est duplex, scilicet Verbalis, et Realis, seu actualis. Degradatio verbalis (quæ et depositio solet appellari; arg. cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi: « Verbalis degradatio, seu depositio ab ordinibus, » et notat Fagn. in Cap. *Qualiter* 24. de Accusationibus, num. 76. Barbosa de Offic. et potest. Episcopi part. 3. alleg. 110. num. 1. Reiffenstuel lib. 5. Decretal. tit. 37, n. 22. et alii) est illa, quæ fit per solam, et simplicem sententiam, qua Clericus criminosis ab Ordinibus Clericalibus, seu ab eorum executione depositus perpetuo declaratur; ita ut censeatur privatus omni Ordine et munere Clericali, v. g. Sacerdotali, Episcopali, et hoc ipso etiam officio, et Beneficio, ut tenet communis Doctor. arg. cap. *At si Clerici* 4. de Judiciis; c. *Ut Clericorum* 13. de Vit. et honestat. Cleric. cap. *Insinuatum* 3. de Simonia. cap. *Latores* 4. de Clerico excommunicato ministrante, et c. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. Per hanc tamen degradationem verbalem Clericus non amittit privilegium Fori, et Canonis; (2. Barbosa l. c. n. 3. cum Menoch. Sigismund. Scaccia, Navar. Galet. Sayr. Bonacina, Carol. de Grassis, Valentia; et aliis ibi ab ipso citatis, Reiffenstuel loc. cit. num. 34. et alii. (3. Nec sic degradatus amittit characterem impressum, cum sit indelebilis; cap. *Ostenditur* 30. dist. 4. de Consecrat. (4. Clericus enim sic degradatus (si sit Sacerdos) adhuc conficit Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi sit Hæreticus, si utatur debita materia, forma et intentione, sicuti etiam valide absolvit pro mortis articulo moribundum; Barbosa loc. cit. num. 5. cum communi aliorum. (5. Et Clericus sic degradatus, si ex aliqua justa causa restituatur ad Ordines Clericales, non debet de novo Sacris insigniri, quia Clericus sic degradatus, adhuc dicitur Clericus, licet vere non sit in eadem dignitate constitutus, in qua erat ante degradationem; Glossa in cap. *Accedens* dist. 50. et in cap. *Ad abolendam*, verb. *Prærogativam*, de Hæreticis et in d. cap. *Degradatio*, verb. *Privilegia*, de pœnis in 6. Decian. cons. 19. num. 115. l. 3. Carol. de Grassis de eff. ctib. Clericor. effect. 1, num. 834. in fine; Martha de jurisdict. part. 4, cap. 131. a n. 3. Barbosa l. c. n. 6 et 7. cum aliis.

(6. Degradatio realis, seu actualis est, quando ultra depositionis sententiam ob incorrigibilitatem Clericus actualiter privatur, exauctoratur, exiit et spoliatur omni Ordine, munere, et privilegio Clericali, et omni Beneficio, et officio per de tractionem insignium Clericalium cum solemnitate a jure præscripta, et traditur Curie sæculari ab eadem juxta leges puniendus; Barbosa loc. cit. n. 4. cum communi, et certa aliorum; arg. cap. *Felix* 2, caus. 15, quæst. 7, cap. *Cum non ab homine* 10. de Judiciis; cap. *Novimus* 27. de verb. signi-

Pontifice toleratam. — 32. Degradatio autem, seu depositio solum verbalis potest fieri ab ipsis Prælatibus Regularibus.

ficat. cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. Conc. Trid. sess. 13, cap. 4, de Reformat. (7. Per hanc Degradationem Realem, seu actualem Clericus amittit privilegium Fori et Canonis; Privilegium quidem Fori, in quantum ejicitur a Foro Ecclesiastico, et traditur Foro, seu Curie sæculari puniendus, ac si esset Laicus juxta leges civiles de commissis delictis, quamvis dum Clericus degradatus traditur Curie Sæculari, debeat Ecclesia efficaciter pro eo intercedere, ut citra mortis periculum quoad eum sententia moderetur, textu expresso in cap. *Novimus* 27. de verbor. significat. ibi: « Pro quo debet tamen Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur; » amittit etiam sic degradatus privilegium Canonis, ita ut ejus invasor, aut percussor quamvis injustus, non incurrat excommunicationem latam in percussores Clericorum: arg. cit. cap. *Novimus* 27. de verborum significat. ibi: « Degradatus tamquam exutus privilegio Clericali, Sæculari Foro per consequentiam applicetur, » et cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi: « Degradamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio, et officio Clericali. » (8. Non privatur tamen sic Degradatus characterem Ordinis, quia est indelebilis; cap. *Ostenditur* 30. dist. 4. de consecrat.; neque potestate valide consecrandi (si fuerit Sacerdos) quia et hæc potestas est simpliciter inimpedibilis; neque facultate valide absolvendi pro mortis periculo moribundum, quia pro tunc nulla est reservatio casuum. (9. Nec sic degradatus liberatur ab onere recitandi Horas canonicas, aut servandi perpetuam castitatem, ne alioquin ex suis delictis commodum reportet. Sic communis Doctorum. Sacra tamen Congr. Conc. 13 Aug. 1707. et 18 Aug. 1708. et 15 Decemb. 1719. noluit decidere, quod damnatus ad Triremes teneatur recitare Officium Divinum. Immo neque Clem. XI. cui ipsa Congregat. Concil. dubium resolvendum reservaverat. Vide Ursayam verb. *Officium* num. 42. littera O in Miscellaneo Sacro et profano, parte prima.

(10. Crimina, ob quæ de jure deveniri potest ad degradationem, seu depositionem verbalem, sunt Adulterium, Concubitus, Simonia notoria, Stuprum, Incestus, Furtum, Perjurium, Homicidium, aliaque delicta istis graviora, uti in titulis respectivis de his criminibus habetur; et colligitur ex cap. *At si Clerici* 4. de Judiciis § de *Adulteriis*; cap. *Si autem* 6. de cohabit. Clericorum et Mulier. et ex Concil. Trident. § 32. in Decret. de observandis in celebratione Missæ, ubi expressè mandatur Episcopis, « Ut neminem, qui publice et notorie criminiosus sit Sancto Altari ministrare permittant; » et tenet communis Doctorum cum Barbosa loc. cit. num. 10. (11. Crimina

vero, ob quæ de jure potest deveniri ad degradationem realem, seu actualem sunt 1. *Hæresis*, c. *Ad abolendam* 9. cap. *Excommunicatus* 13. § *Damnati*, de Hæreticis; cap. *Quoniam* 1. et cap. *Super eo* 4. eod. tit. in 6. — 2. *Crimen falsificationis* literarum apostolicarum, cap. *Ad falsariorum* 7. de crimine falsi. — 3. *Crimen insidiarum* et conspirationis in proprium Episcopum; cap. *Si quis Sacerdotum* 18. et cap. *Statuimus* 41. caus. 1. q. 1. — 4. *Crimen assassinatus* in Clerico; arg. cap. *Pro humani* 1. de homicid. in 6. — 5. *Incorrigibilitas Clerici* post servatos aliarum pœnarum gradus; arg. cap. *Cum non ab homine* 10. de judiciis. — 6. *Crimen nefandum* contra naturam ex Constitutione S. Pii V. incipiente: *Horrendum illud scelus*. — 7. *Crimen non Sacerdotum*, qui audent Missas celebrare, ex Constitut. Clementis VIII. incipiente: *Et si alias*. — 8. *Crimen eorumdem non Sacerdotum*, qui audent Confessiones Sacramentales excipere ex eadem Const. Clementis VIII. incip. *Et si alias*. — 9. *Falsificatio et Adulteratio Monetarium* intra Italiam, ex Constitut. Urbani VIII. incip. *In suprema* (1).

Notandum cum sæpe laud. Episc. Maraviglia, quod extra casus statutos a Jure Canonico, et a Summis Pontificibus, nullam habent Episcopi jurisdictionem degradandi; nec devenire possunt ad degradationem, et traditionem Curie sæculari, nisi auctoritate a Jure Canonico expresse concessa, quæ in certis casibus numquam intelligitur concessa. Vide in citato Auctore Leges 285. et 286. *Prudentiæ Episcopalis*.

(12. Forma autem solemnitatis, quæ in degradatione reali, seu actuali servanda est; habetur expressa a Bonifacio VIII. in cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. his verbis: « Clericus igitur vestibus Sacris indutus in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum, ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducatur, cui Episcopus publice singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita, seu collata, singulariter auferat, ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo, inchoando, et descendendo gradatim, degradationem continuet, usque ad primam vestem, quæ datur in collatione primæ Tonsuræ: tuncque radatur caput illius, seu tondeatur, ne Tonsuræ, seu Clericatus vestigium remaneat in eodem. Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem illius appositis, quæ in collatione Ordinum sunt prolata dicendo Presbytero hæc vel similia verba in remotione Planetæ: Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali privamus: sicut in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum

(1) Immo vide Bened. XIV. de Synod. Diocæs. l. 9, c. 6, § 9, ad fin. qui mirifice quæstionem expendit. (EDIT. BARBIELL.)

fuit primum, infrascripto, vel alio simili modo pronunciet, seu dicat: Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, et deponimus, degradamus, et exuimus te omni Ordine, Beneficio et Privilegio Clericali. »

(13. Ex quibus colligitur degradationem realem, seu actualem, et solemnem non posse fieri nisi ab Episcopo, ut clare innuunt verba illa: « Ad Episcopi præsentiam adducatur, cui Episcopus, » etc. « Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis, » etc. et sic tenet communis Doctorum; arg. Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. de reform. ibi: *Per se ipsum*. (14. Immo Episcopus debet esse consecratus, et non sufficit Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus ut tenet Barbosa l. c. num. 24. Glossa communiter recepta in cap. 4. *Transmissam* 15. de election. verb. *de talibus*; et ratio est, quia, ut ibidem recte notat Glossa, degradatio realis, seu actualis videtur, actus Ordinis Episcopalis, et consequenter non nisi ab Episcopo consecrato fieri potest. (15. Quinimo degradatio realis est taliter Ordinis Episcopalis, ut nequeat ab Episcopo demandari, neque Abbatibus Presbyteris, et solemniter benedictis, aliisque quibuscumque Clericis se inferioribus; arg. cap. *Aqua* 9. de consecrat. Eccles. vel Altaris, ibi: « Quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare; » cap. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. per verba citata, et notata sub num. 14. et Conc. Trid. cit. sess. 13. cap. 4. de reform. ibi: « Per se ipsum actualem, atque solemnem degradationem; » et sic cum communi tenet Fagnan. in cit. cap. *Aqua*, de consecrat. Eccles. num. 21 et seq. (16. Degradatio vero verbalis potest fieri ab Episcopo electo et confirmato, licet nondum consecrato; quia degradatio verbalis non est actus ordinis, sed jurisdictionis, qua jurisdictione gaudet Episcopus electus, et confirmatus, quamvis nondum consecratus. (17. Et sic per eandem rationem talis verbalis degradatio potest fieri etiam per Vicarium Generalem Episcopi, textu expresso in Conc. Trid. cit. sess. 13. cap. 4. de reform. ibi: « Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem, contra Clericum in sacris, etiam Presbyteratus, Ordinibus constitutum etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem.... procedere liceat. » (18. Et sic etiam per eandem rationem talis verbalis degradatio fieri potest. Sede vacante, a Capitulo, vel Vicario Capitulari de speciali Capituli mandato, cum, Sede vacante, Capitulum succedat in jurisdictione Episcopi, cap. *His quæ II.* et cap. *Cum olim* 14. de majorit. et obedient.

(19. Ad degradationem, seu depositionem faciendam requirebatur olim certus numerus Episcoporum. (20. Pro deponendo Episcopo requirebantur duodecim Episcopi; c. *Si quis tumidus* 3. et c. *Felix Episc.* 4. c. 15. q. 7.

(21. Pro deponendo Presbytero requirebantur Episcopi sex; c. *Si quis tumidus* 3. et c. *Felix* 4. c. 15. q. 7. (22. Pro deponendo Diacono Episcopi tres; c. cit. *Si quis tumidus*, et c. *Felix*. (23. Pro deponendo Subdiacono, licet per Canones antiquos numerus explicite declaratus non fuisset, ex quo tunc temporis nondum fuerat declaratum, Subdiaconatum esse de Majoribus Ordinibus; tamen quia ex post fuit declaratum Subdiaconatum gaudere privilegio Ordinis Sacri, sicut Diaconatus, cap. *Miramur* 7. de servis non ordinandis, ibi: « De subdiaconali Ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis, expresse videtur nobis, quod et is cum Diaconali gradu privilegio gaudet eodem; Nam licet sacer Ordo non reputaretur in Ecclesia primitiva, tamen a Constitutione Gregorii atque Urbani secundum moderna tempora sacer gradus esse minime dubitatur. » Ideo Glossa in cap. *Quoniam* 1. de Hæreticis, verb. *Canonibus* in 6. et in cap. *Degradatio* 2. de pœnis, verb. *Canonibus* eod. in 6. expresse dicit, tres etiam Episcopos ad deponendum Subdiaconum fuisse requisitos. (24. Pro deponendo vero Clerico in Minoribus, unus solus Episcopus sufficiebat; cap. *Si autem* 5. causa 15. quæst. 7. et cap. *Degradatio* 2. de pœnis, ibi: « Quamquam proprii Episcopi Sententia sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in Degradatione eorum, qui minores dumtaxat Ordines receperunt. » (25. Hodie tamen standum est dispositioni Concilii Tridentini, quod sess. 13. cap. 4. de reformat. statuit, ut adversus Clericos etiam in Sacris Ordinibus constitutos ad condemnationem, nec non verbalem depositionem procedere possit Episcopus tam per se ipsum, quam per illius Vicarium in spiritualibus Generalem; Ad actualem vero atque solemnem degradationem, per se ipsum non adhibito numero Episcoporum a Sacris Canonibus præfinito; adhibitis tamen, et in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum Mitræ, et Baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut in Diœcesi reperiri, et commode interesse possint; alioquin aliis personis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac Juris scientia commendabiles existant.

(26. Sic ibi fere iisdem verbis loquitur Concilium, quod cap. 8. ejusdem sessionis 13. de caus. Episcoporum, sic præcise statuit, ibi: « Cause Episcoporum, cum pro Criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur. »

(27. Ex declaratione autem Sacræ Congregationis teste Fagnano lib. 3. Decretal. in cap. *Aqua* 9. de consecrat. Eccles. num. 31. et seq.; appellatione Personarum in Ecclesiastica Dignitate constitutarum, de quibus loquitur Concilium, non comprehenduntur Prælati Regularium Mendicantium; cum non habeant nomen dignitatis. (28. Et Abbates non debent interesse examinationi, vel processui, sed tantum possunt solemniter et

actuali degradationi assistere ut Assessores. (29. Et Ordinarius potest adhibere alias personas in Dignitate Ecclesiastica constitutas etiam non Diœcesanas. Sic apud Fagn. loc. cit.

(30. Quantum autem ad Regulares spectat, dicendum est, quod de jure communi eorum Prælati non habent potestatem degradandi Degradatione reali, seu actuali suos subditos, quia Jus commune designat solum ad hoc munus Episcopum, c. *Degradatio* 2. de pœnis in 6. ibi: « Ad Episcopi præsentiam adducatur... Poterit autem Episcopus in degradatione hujusmodi, » et concordat Concil. Trident. cit. sess. 13. cap. 4. de reformat. ibi: « Episcopo... per se ipsum etiam actualem, atque solemnem degradationem, » etc. Et ratio est, quia sicuti admittitur ad Ordines seu ordinare solum spectat ad Episcopum, sic et dejicere ab illis, eo modo, quo fieri potest talis dejectio, solum spectabit ad illum, cum Degradatio realis, seu actualis, et sollemnis videatur actus Ordinis Episcopalis, ut notat Glossa communiter recepta in c. *Transmissa* 15. de election. verb. *de talibus*, arg. cit. Concil. sess. 13. c. 4. de reformat. ibi: *Per se ipsum*.

(31. Unde Prælati Regulares nequeunt suos subditos degradare Degradatione reali, seu actuali, et sollemni, nisi illis concessum sit per privilegium, vel per consuetudinem a Romano Pontifice toleratam. Barb. de offic. et potest. Episc. pag. 3. allegat. 110. n. 25. cum Sayro, Silvestro, Avila, Bonacina ibi citat. Lezana in Summa verb. *Degradatio* num. 2. qui ex aliis subjungit, nullum tale privilegium extare, quod viderit; nec ullam talem extare consuetudinem, quam audiverit. (32. Degradatio autem, seu depositio solum verbalis potest fieri ab ipsis Prælatibus Regularibus, ut admittit Alderete sub leg. 1. c. 3. n. 24. et 25. citat. ab ipso Lezana loc. cit. n. 3. in fine. Talis enim simplex, seu verbalis depositio; vel Degradatio non est actus Ordinis, seu jurisdictionis; cum posset fieri etiam a Vicario Generali Episcopi ex Conc. Trid. citat. sess. 13. cap. 4. de reformat. ibi: « Episcopo per se, seu illius Vicarium in spiritualibus Generalem contra Clericum in sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem... procedere liceat. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(33. De veteri et nova Ecclesiæ Disciplina circa Degradationem, legendus est, licet caute, Bohemer. in Decretal. lib. 5. tit. 37. a § 8. ad plur. seq.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

(34. Antiquissimam in Ecclesia fuisse degradandi consuetudinem adeo certum est, ut nulla indigeat probatione: sed non ita ex nostro Auctore constat, qua deinde pœna Clerici Degradati post Degradationem plecterentur. Antiquiori ævo usque ad Constantinum Magnum Imperatorem cum Christiani Sæculares Magistratus non haberent, quibus Clerici Degradati ab Episcopis traderentur,

canones vulgo Apostolorum, et Patres cœvi, ubi ob crimina multa deponendos Clericos mandarunt, nullum de Clericorum traditione Laicis Judicibus verbum faciunt S. Cyprianus Episc. Carthag. et Martyr. epist. 3. ad Rogatium. « Si ultra te contumeliis suis exacerbaverit, et provocaverit, funderis circa eum potestate honoris tui, et eum vel deponas vel abstineas. » Petrus Alexandrin. epist. canon. cap. 10. apud Bevereg. tom. 2: « Non est æquum, ut vel Clerici, qui sua sponte aufugerunt, lapsi autem et reluctati sunt, amplius in sacro ministerio maneant. » (35. Sed delinquentes prius ab ordinibus, et dignitatibus deponerent, quibus peractis, si adhuc in criminibus persistebant, ab omni fidelium consortio excommunicatione majori segregabant, ut ipsos ita ad penitentiam reducerent, ut liquet ex can. 27. vulgo *Apost. text.* in cap. *Si quis* 2. de Cler. exc. vel depos. minist. S. Gregor. M. in can. *Accedens*. 10. dist. 30.

(36. Restituta vero Ecclesiæ tranquillitate, eique a Constantino Magno concessa temporali etiam in causis profanis jurisdictione, et Clericorum exemptione a laico Christianorum Magistratum foro, mos inde paulatim invaluit, ut ipsi Episcopi post adhibita inutiliter omnia Ecclesiastica remedia, Clericos contumaces tandem ritu publico degradarent, mox in manus laicæ potestatis legitimis pœnis citra sanguinem comprimendos traderent. Concil. Carthagin. III. in can. *Si quis cum Clericos* 45. caus. 11. quæst. 1. S. Augustin. in can. *Forte in populo* 11. caus. 23. quæst. 4. (37. Sed non semper Clerici exactorati Sæculari Curie tradebantur, ut vel morte, vel alia capitali plecterentur pœna, ut hodie contingit, (38. sed ab Ecclesiastici gradus honore dejecti, et clericalibus exuti prærogativis, Curie Regiæ addebantur, ut ad instar aliorum civium publicis laicorum muneribus fungerent, sicque spem omnem amitterent regressus ad pristinum statum clericalem, ut ex lege Honorii Imperatoris 39. tit. 2. lib. 16. Cod. Theodos. deducit Gothofred. Justinianus vero Imperator solemnem Degradationis formam probasse, dum *Novell.* 83. § 2. jussit, ut antequam pœnis legitimis contumaces Clericos afficeret Laica Potestas, eos prius Ecclesiastica dignitate spoliaret Episcopus. Bened. XIV. de Synodo Diœces. lib. 9. cap. 6. § 6.

(39. Sed cum Ecclesia a sanguinis effusione semper abhorruerit, et indecorum reputaverit, ut in manus laicæ Persona Ecclesiastica incideret, (40. hinc antiqui Patres etiam atque etiam studuerunt, ut traditionem eorum, quos a sacris ordinibus deponerent, ad laicalem Curiam declinarent, ipsosque potius in Monasterio detrudebant, ut ibidem commissorum criminum penitentiam agerent. Can. *Si Episcopus* 7. distinct. 50. can. *Si quis Clericus* 10. distinct. 81. multisque adductis testimoniis Conciliorum demonstrant Bened. XIV. loc. cit. § 2. et præ cæteris Gagliard. Instit. Canon. lib. 4. tit. 18. de pœnis et censur. Eccles. § 11. de

depositione, et Degradatione num. 113. et plur. seq.

(41. Dubitari posset an hujusmodi solemniter Degradati ipso jure in manus laicæ incidant, adeo ut Sæculares judices propria auctoritate eosdem valeant in carcerem conicere, et condemnare non expectata Episcopi traditione, an potius eosdem recipere debeant e manibus Episcopi. Consultus de hoc Innoc. III. a Parisiensi Episcopo in can. *Novimus* 27. de verbor. signif. respondit: « Degradatio celebranda est præsentem sæculari potestate, ac pronuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat Degradatum, et sic intelligitur Curie tradi sæculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur. »

(42. Post hæc nihilominus quidam adhuc tenent, superius relatum constitutionem locum habere in omnibus casibus, excepto delicto assassinii, et læsæ majestatis, ut ex Concilio Lugdunensi I. sub Innocentio IV. celebrato colligi posse videtur c. *Pro humani* 1. § 2. de homic. in 6: « Quicumque prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica sæcularisve persona quempiam Christianorum per assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur), aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio et beneficio incurrit sententias ipso facto. . . et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem tantum scelus commississe, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversus eum sententia requiritur. » (43. Contraria nihilominus invaluit opinio, ut semper requiratur actualis traditio Judicis Ecclesiastici, licet ex juris dispositione post patrata hujusmodi scelera illico delinquentes ab Ecclesiastico cœtu sejuncti reputentur. Bened. XIV. loc. cit. § 3. Gagliard. l. c. num. 118. et seq.

(44. Quæritur postremo, an aliqua depositis vel Degradatis supersit spes ad amissos ordinum gradus redeundi? Patres communiter tenent, restituendos esse ubi liquido de manifesta et sincera penitentia, atque de evidenti constet emendatione. Ita S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, alique relati a Gagliard. l. c. num. 127. (45. Contrariam nihilominus sententiam tenet S. Gregorius M. qui Mediolanensi Episcopo rescribens statuit. in can. *Si lapsus* 1. dist. 50: « Si lapsus ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonice procul dubio frangitur disciplinæ. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta. » (46. Verum hæc quæstio non ita frequens poterit his temporibus excitari, cum ut plurimum non degradentur, et laicali foro tradantur nisi qui ob maxima delicta ultimum merentur supplicium. Bened. XIV. l. c. § 7.